

GEORGIVS COMES A HELPFENSTEIN.



Georgius ex illustri familia comitū à Helffenstein natus, atq; in omni genere uirtutū educatus est. Erat is egregia indeole conspicuus. Itaq; à pueris operam literis dedit, atq; in primis Poëticæ diligēter incubuit. hinc factum ut artium & lingua rum sibi magnum usum cōpararit, atq; ex tempore optimum carmen edere potuerit. Postea quoq; se omni genere armorum exercuit, atq; Cæsaris castra magna gloria secutus fuit. In primis autē aliquoties in Vngaria ordines duxit, atq; cum Turcis feliciter cōflicxit. Cum hoc modo Georgius beli & pacis tempore multos alios superaret, Ferdinandus Cæsar eum inter suos consiliarios recepit, atque 1552 in superiori Alsatia Curiæ in Ensisheim præposuit, ac suum capitaneum constituit. In eo loco cum per septem annos rebus optimè præfuisset, ad Vngarica bella rediit, atq; tandem Cæsaris uicarius in Tyrolensi comitatu Oeniponti declaratus fuit. Hoc modo Georgius patriam Germaniam suis uirtutibus plurimū decorauit, atq; etiamnum eo in loco celebris existit. Anon.